



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 13. Multas mutationes hominum tantùm phantasticas esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

§. XIII.

Multas mutationes hominum tantum phantasticas esse.

Sentio quartò, aliquando ex humorum vitio, & atræ bilis excessu phantasiâ ita mutari, vt nonnulli tristitia efferati, putent se in bestias esse commutatos, induantq; affectus lupinos, odiumq; gregis, aut hominum, ac proinde etiam desiderium eos inuadendi, lacerandi, vorandi. Què affectum medici *λυκάωνα, λυκανθρωπίαν* vocant, interq; morbos, recensent, à Paulo Egneta alijsq; medicis *melancholiam*, vel *Paul. Ægynet. l. 3. c. 16.* *insaniam lupinam* Latine nominatam. Sicut enim Ajax præ insania in gregem pecorum sæuijt, putans se in Vlysses & alios homines sæuire; ita potest nimius mœror, hominem adeò de mente deicere, vt se in belluam versum arbitretur; immò vt se magum, aut sagum dæmoniq; addictum esse existimet. Quales aliquot ad me adductos, fatentesq; se veneficos esse, cum viderem nimia melancholia laborare, misi ad medicum, & vena secta vidi curatos. Cur enim imaginatio non posset ingerere *Auicenn. l. 3. sin. 1. c. 4. c. 24.* talem cogitationem, si eadē, teste Auicenna, potest hominem eò ducere, vt se canē, K k leonem,

leonem, vel aliam bestiam esse existimet? Itaque qui sola corruptione phantasiae laborant, magi non sunt, licet se magos esse dicant, licet se lupos esse persuasum habeant; licet lupina pelle, aut nube non tecti grassentur. Insania enim, non magia est effectus ille; & clarè vident alij eos homines, non lupos, non ursos, non leones esse.

S. August. Talis sibi non ceteris videbatur pater Præstantij, apud D. Augustinum; & agricola Patauinus apud Fincelium, & vidi ipse multumque egi cum aliquo, qui per aliquot hebdomades, ex tristi casu, eò amentia deuenit, vt se non in lecto, sed in flamma Inferni damnatum iacere putaret, omnesque ad se accedentes, pro diabolis haberet, vocesque desperatione plenissimas iactaret, idque per plures hebdomades continuo, diu noctuque tanta vociferatione, vt nullæ humanæ vires tam inconditis assiduisque clamoribus sufficere posse viderentur. Post multos menses ad se paulatim redijt, & ad officia honorata. Plura eiusmodi exempla qui volet, narrat plura Io. Nider, & sanè luculenta. In his tamè prudenter attendendū est, qua vita prius fueriat. Callidus enim est Alastor, & vt ipse est

S. August.
lib. 18. c. 8.
Fincel.
lib. 2. de
mirac.

Io. Nider.
lib. 5. Formicarij
cap. 12.

est pater mendacii, ita sæpe docet etiam veras sagas, cùm iam deprehensæ sunt, insaniam simulare, vt fingendo morbo euadant, quod sacrilega impietate meruissent. Quin certum est, etiam in ipso sacro tribunali multas eiusmodi Orco mancipatas mulierculas; postquam verè cœperunt confiteri ac resipiscere, subita diaboli suggestione deceptas, omnia ex templo retractare, quæ paulò priùs sponte confessæ sunt; quæ si vrgeantur, vt constanter pergant pœnitentiã vti, dicunt, se priùs quasi per somnium locutas, nec mentè præsentẽ fuisse. Ibi Confessarius habet campum pugnandi, instandi, vrgendi, adhortandi, vt bene cœpta non interrumpant, & se tandem tam dira Stygij tyranni seruitute liberent. Cessit multis feliciter ille conatus, animasque amabili constantia & cõstanti charitate lucrati sunt; quas vtiq; fide statim mendacijs adhibita, per lenitatem perdidissent.

§. XIV.

Naturali vi corporis nec in duobus simul locis positionem, nec penetrationem dari posse.

Sed, vt ad rhombum redeamus, etsi

Kk 2

dæmon